

## CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

c. Offi. de  
testa.

**E**A portio quæ nobis vti Archiepiscopo secundum rationem bonorum (extra quæ tamen patrimonialia immobilia sunt) deducto ære alieno ex more & speciali conuentione cum clero nostro inita debetur, nemini grauis esse potest, quod maior Episcopo secundum canonicas sanctiones portio, quæ ea est, quæ ex remissione nostra nobis soluitur, debeatur.

Iuramentorũ facilis exactio in iudicijs refrenãda. Cap. XIII.

Math. 5

Deute. 5

**M**ultiplex illa & facilis iuramentorum exactio, quæ in iudicijs ecclesiasticis fit, nobis probari non potest. Christus inter perfectionis hortamenta ponit & illud, vt in totum abstinemus ab omni iureiurando. Quo colore ergo consuetudo nunc passim iurantium in omni negotio excusari possit, non videmus, nisi aut grauitate negotij, aut necessitate. Crebris iuramentis raro deest periurium, quod grauissime punit deus. Quamobrem monemus Causidicos, ne tam faciles sint in exigendis malitiæ ac alijs iuramentis. Compertum enim habemus quosdam esse tam male Christianos, qui in re tam seria ludant ac iuramenta interdum exigant, quibus præstitis credere nolint. Ne dicamus quosdam eo vesania prolabi, vt iureiurandum exigant, quod malint suspicari, præstando violatum iri quam vere reuerentiaq; adhiberi. Quo laqueo, quis pernitiosior esse potest? Admonebit igitur Officialis noster Causidicos, atque alios iuramenta exigentes, vt ea quæ iudiciarij processus solennitas necessario non requirit, remittant, vtq; memores sint, eandem manere pœnam temere exigentem, quæ manet frustra præstantem iuramentum.

Formula inquirendi hæreticos delinianda. Cap. XIII.

**Q**um hæresum ac schismatum in præsentiarum plena sint omnia, videmur operæpretium facturi, si communicato cum Inquisitoribus apostolicis consilio, formulam quandam inquirendi iuri consentaneam ac tantum negotium decentem, minimeq; captiosam, præscribamus. Quamobrem ea de re nostris iuris peritis mandabimus.

## DE VISITATIONE AC SYNODIS

Episcopalibus Archidiaconalibusq;. Cap. I.

Math. 5



**V**um frustra sint in ciuitate leges, nisi & sint qui eas exequatur, itidem institutiones canonicas inefficaces & languidas esse oporteat, nisi ab Episcopo & reliquis (quibus ea cura demandata est, & quodam modo viuæ lex sunt, qui & in Euangelio nuncupantur sal terræ,) mancipentur effectui. Idcirco visitatione per nostram diocœsim Coloniaen. opus est, quã deo authore per nostrum